Gorski Jacobi: Quaestio de vi et effectu praescriptionis.

Jus canon.

Naymanowicz Jacobi

Quaestio de immunitate Ecclesiae

~~2401 Prairo.~~

QVÆSTIO
DE
VI ET EFFECTV
PRÆSCRIPTIONIS.

Quam

Præsidente Clarissimo Dño IOANNE CROSNERO Phil: & I. V. D. ac Profess. Facultatis Iuridicæ Decano.

M. IACOBVS GORSKI Nouorum Iurium Professor, dum publicè I. V. Baccalaureus renuntiabitur, ad disputandum proponet.

Die Septemb. 4 Hora 7 ante merid. Lect. DD. Iurisperit.

CRACOVIÆ,

Ex Officina Typogr: Matthiæ Andreouiensis.
Anno Dñi, 1626.

IN STEMMA.



Quadrupedum genuit Regem natura Leonem.
Sceptra Iouis volucres Armiger inter habet.
Hæc formant claro Branici in Stemmate Gryphē,
Vnde domus rutilum posſidet iſta iubar.
Fælix progenies, tibi plaudit Adorea laudis,
Ipſa, Cui præſtant, Regia ſigna, decus.

Illustri & Admodum Rndo Dño,

D. SIGISMVNDO BRANICKI DE RVSCA, CANONICO CRACOuiensi, Præposito Rufcē: &c. &c. Domino & Fautori obseruand.

E*T si omnium, Illustris & Admodum Reuerende Domine, benigna parens natura, quantum in rebus temporis ratio oportunitasq; valeat, satis reddidit manifestum: multorum tamen pertinacia neglectusq; rerum agendarum modus, in dubium hanc naturæ ordinationem non minùs stultè, quam infructuosè vocauit. Cum enim plerique id non credant, cogantur experiri, eorumque qui non adeò circumspecti sunt, magistro exitu facilè docentur. Quotus quisque est qui non videat, agriculturam, messes, propagationes, vindemias, in tempore vtiliter exerceri: neglecta oportunitate, omnia ista, aut calore, aut congelatione, interire. Quis sine periculo nauigaturus, nullo temporis seruato discrimine? vsus herbarum, ipsiusque quotidiani cibi, nihil prorsus prodesse poterit nisi in tempore. Omnis humana actio tempestiuam exposcit occasionem, vnde contingere solet, vt præter spem & opinionem multa eueniant: ex lucro damnum, ex voluptate molestiam, neglecta temporis commoditas adfert. Nec immerito Antiquitas, oportunitatis imaginem pluribus locis depictam habebat, vt commonefaciat habendam esse temporis rationem, omnemque occasionem rerum agendarum minimè negligendam. Ipsa Iustitiæ administra Iurisprudentia, tum ad dominia rerum acquirenda, tum ad reliquas negotiorum expeditiones, temporum quandam determinatam constituit rationem vnicuiq; modum ac regulam ordinauit,*

 quando,

quando, & quamdiu, aggredi, vel non, expediat; quod in Præscriptione differentijs temporum distinctè manifestum est. Hac enim ius dominij retinendi in re aliqua, per negligentiam quandam, tempore à lege definito, alteri bona fide possidenti communicatur, & tacito quodam consensu resignatur. De huius vi & effectu in Lyceo DD. Iurisperitorum sub nomine Tuo Illustris & Admodum Reuerende Domine, Quæstionem disputandam obtuli: vt qui Heroicis virtutibus, ad generis Nobilitatem, Familiæque satis augustæ eminentiam, adiunctis ornatus. Reipublicæ, Ecclesiæ, literis, literatis, nulla occasione quâ de omnibus & singulis quam optimè mereri valeas neglectâ, prodesse satagis. Tuum Illustris & Admodum Reuerende Domine fauorem & patrocinium desidero, vtque hanc Quæstionem grato & beneuolo recipias animo, maiorem in modum oro. Deus ter Maximus Illustrem & Admodum Reuerendam Dominationem vestram quam diutissimè incolumem seruet ex animo cupio. Dat. è Collegio DD. Iurisperitorum 19 Aug.

Illustris & Admodum Rndæ D. V.

obseruantissimus

M. Iacobus Gorski.

QVÆ-

QVÆSTIO.

Ex Can. Clerici 16. Quæst. 3. Iuncta Authen. Nisi tricennale C. de bonis maternis.

V. In omni ſpecie præſcriptionis legitimæ, dominiū de iure Ciuili acquiratur: tam quo ad proprietatem, quàm quoad vtilitatem: adeo, vt veteri domino nulla actio ſuperſit ad rem præſciptam recuperandam, necne?

CONCLVSIO I.

Iure ciuili introductum eſt, vt præſcriptione legitimâ acquiratur dominium.

COROLLARIA.

Juſtus titulus, bona fides, poſſeſſio continua, ita ſunt de eſſentia præſcriptionis, vt deficiente aliquo horum præſcriptio minimè procedat.

2. *Ius ciuile, propter publicam vtilitatem, poteſt dominium alicuius rei, vni priuato adimere, alteri dare.*

3. *Maxima vtilitas Reipub. in eo conſiſtit, ſi dominia rerum ſint certa, litium atq; ſolicitudinis finis: quod vſucapio præſtare conſueuit.*

4. *Vſucapio minimè infringit principium iuris naturalis, quod cum detrimento alterius aliquem locupletari*

 vetat:

vetat: si illud certo moderamine interpretetur: ne scilicet recessus fiat à Legibus, quæ quietem & conseruationem communis societatis præcipiunt.

5. *Quamuis per vsucapionem contra domini voluntatem, dominium in alterum transferri videatur: id tamen si tacitum consensum spectemus, nequaquam concedimus.*

CONCLVSIO II.

ETsi frequentiori Doctorum calculo comprobatum triennali præscriptione dominium directum 10. 20. 30 annorum, vtile tantùm in præscribentem transferri: probabilius tamẽ & Legibus magis cõsonum vtrumque dominiũ omni specie præscriptionis acquiri.

COROLLARIA.

DOminij verbum in lege quapiam positum, in dubio pro potiore significatione qualis est directi sumi debet.

2. *Libellus, in quo quis se dominum rei petitæ asseuerat, & dumtaxat vtile dominium in re petita habet, sustineri potest: secus si proprietatem appellasset.*

3. *Lex humana iustâ causâ interueniente, non minorem habet potestatem transferrendi, dominium directum ex vno in alium, quam vtile.*

4. *Secundùm vsum loquendi, & placita Interpretum, vtile dominium aliquando sumitur, quod dominio directo opponitur, aliquando quod ex directo pendet, verum prior*

modus

modus loquendi ad præsens spectat.

5. Tam actio, quam exceptio, pro defensione rei præscriptæ, competit præscribenti.

CONCLVSIO III.

VEteri domino rei præscriptæ nulla actio competit ad rem præscriptam recuperandam.

COROLLARIA.

VNiuersum ius, quod aliquis habet in re, tollitur per præscriptionem.

2. Contra tertium possessorem, cum ius nullum à præscribente habeat, veteri domino nulla actio competit.

3. Licet Præscriptio iure Ciuili introducta sit & Princeps talem modum acquirendi rerum dominia tollere possit: hoc tamen tali iure acquisitum, sine causa auferri nequaquam poterit.

4. Actio rescisoria, contra eum qui præscripsit, non datur: nisi priùs in integrũ restitutio eidem cõcessa fuerit.

5. Si legatarius rem præscripserat, aduersùs legantem, inutiliter eadem illi legatur.



Svb felicibus auſpicijs Admodum Reuerẽdi & Magnifici Domini, D. Iacobi Naymanowic I. V. D. & Profeſſoris, Canonici Cracouienſis, Archidiaconi Pilecenſis, &c. &c. Vniuerſitatis Cracouienſis Generalis Rectoris.